



Nr. 24.

68

ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
PRO-RECTOR  
**JO. HEINRICUS**  
**MICHAELIS,**  
S. THEOL. D. EIVSDEMOVE ET GR. AC  
OO. LINGG. PROF. P. ORDINAR.  
*Ro. VII, 08-29.*  
*UNA CUM*  
DIRECTORE, CANCELLARIO  
ET PROFESSORIBUS RELIQUIS  
**CIVIBUS ACADEMICIS**  
*b5.*  
PIAM FERIARUM PENTECOSTALIUM  
CELEBRATIONEM  
COMMENDAT.

---

HALAE MAGDEBURGICAE, LITERIS ORPHANOTROPHEI.

ACADEMIA IMPERIALIS

PRO-REGIOR

SUS-HEINR-O.

MICHAELE

ET LIBRARIA MONASTERICARUM ET CENSORIUM  
OO LINCEI HERCUL ORDINARI



DIRECTORE CONSELARIO

ET PROFESSORIBVS RECTORIBVS

CLAVBVS ACADEMICIS

HABITAT LIBRARIA MONASTERICARUM ET CENSORIUM

COMMISSARI



## J. N. J.



Eriis nuperis, **CIVES**, quas in memoriam Christi resuscitati per DEI gratiam exegimus, præcipuum hoc programmatis nostri solennis fuit argumentum, ut cuilibet vestrum, qui cum Christo in Spiritu nondum surrexisset, sed perseverasset potius in peccato, ac proinde homini mortuo & sepulto, jacentique in fœtore suo, caderi similis existeret, Paulinum illud acclamaremus: *Expercere, qui dormis, & exsurge a mortuis, & illuceferet Tibi Christus.* Quæ autem reliquis tum scribi potuissent, iis nimirum, qui ex morte spirituali essent excitati, vitaque illa, quæ ex DEO est, ceu ex illo nati, jamtum perfruerentur, ea in ferias, quas hodie, novo Dei beneficio, sumus auspicati, Pentecostales expresse reservavimus.

A 2

Quod

Quod itaque Deus bene vertat, VOBIS nunc speciatim, quos a multitudine nec formæ externæ præstantia, nec splendor natalium, nec dignitas civilis, nec opulentia, nec alia quælibet carnalis prærogativa, sed sincera in primis mentis ad Deum conversio & fides per charitatem efficax distinguit, loquimur & scribimus. Et Vosipos non tanquam *saturatos* jam & *ditatos*, quales suo tempore Paulus arguit Corinthios,\* sed tanquam *pauperes Spiritu*, *esurientes ac sitientes justitiam*, \*\* compellamus, exhortamur, consolamur. Universi vero, quibus ista legere contingit, qualescunque sitis, agite dum animos advertite, ut, si vere sitis ii, quos utique vos cunctos esse peroptamus, h.e. non mundi, sed Christi amantes, ea vobis demissæ quidem, alacriter tamen & grata erga Christum mente applicetis; sin ipsa Vobis dictæ conscientia, VOS a fano illo animi habitu, *sancto*que vitæ instituto etiamnum esse remotos, fieri tales sine mora, invocato Christi auxilio, enixissime studeatis.

Cogitate, quæsumus vos & obsecramus, quotquot Christo non nomen tantum dediſtis, sed animum ipsum addixistis, id, quod in Evangelio secundum Johannem Capite VII. narratur:

Ultimo die illo magno festi (Tabernaculorum) stetit Jesus & clamavit dicens: si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dixit scriptura, flumina aquæ vivæ ex ventre ipsius fluent. Hoc autem dixit de Spiritu illo, quem accepturi erant credentes in eum.

Huc VOS, O Nostri, advocabamus, & omnis hæc nostra compellatio & adhortatio eo spectat, ut huc accedatis, ad Christum nimirum, cuius illa, quæ recitavimus, verba sunt, utque non nostram, sed hanc ipsius Christi vocem, tanquam ad

\* 1 Cor. 4, 8.

Matth. 5, 3, 6.

ad Vos singulos directam , quasi coram facie ipsius essetis constituti , ex ore ipsius audiatis . Neque enim approbamus eos verborum illorum Christi interpretes , qui ad Apostolos solos , aut tantum ad eos , qui aeo Apostolico dona extraordinaria Spiritus Sancti acceperunt , illa restringunt . Joannem Brentium , cuius dotes dextre scripturam sacram interpretandi Lutherus magnopere admiratus est , a audite , hæc rectius ex mente Christi exponentem .

Is enim , audiamus , ait , magna animi attentione , quid Jesus sit concionatus . Si quis sit , veniat ad me , & bibat . Qui credit in me , sicut dicit scriptura , flumina de ventre eius fluent aquæ vive . Hec est concio , aut potius summa ejus concionis , quam Christus in novissimo Die Tabernaculorum habuit . Proponit autem in hac concione eam doctrinam , qua vera & perpetua salus nostra constat . Primum enim palam & publice affirmat , se esse verum illum Messiam , de quo Prophetæ sint vaticinati . Deinde promittit ea beneficia , que per Messiam , credentibus in ipsam conferenda sunt . Qui credit , inquiens , in me , fluent de ventre ejus flumina aquæ vive , sicut scriptura dicit , hoc est , qui mens est discipulus , & conjungit se mecum per fidem , is consequetur omnia ea beneficia , que scriptura testatur populo per Messiam exhibenda & tanit donis ornabitur , ut non ipse tantum fiat felix , sed etiam fœciat alios homines felices . Audiamus ergo , quanta copia Messias exhibiturus sit beneficia sua .

\* Vid . Tom . V. Altenb . pag . 275 . & conf . Serm . convivales fol . 713 . a . edit . Lipf . M DCC . ubi hæc habentur : Es ist , sprach D . M . Lutherus , keiner unter den Theologen zu unserer Zeit , der die heilige Schrift also erklärert und handelt , als Brentius , auch also , dass ich mich sehr oft verwundere über seinen Geist , und an meinem Vermögen verzweifle . Und ich glaube , dass keiner unter uns vermöchte zu thun , was er in der Auslegung über das Evangelium Johannis gethan hat .

Heic jam Brentius producit Prophetarum hac de re testimonia, additisque monitis quibusdam necessariis, ita pergit: Accedendum est ad fontem Evangelii. Hic est fons iste, quem aperuit Spiritus Sanctus in Die Pentecostes. Aperuit autem Et illustravit Majestatem Jesu Et declaravit magnis ac publicis miraculis, quod solus Jesus sit verus Messias, Et quod preter hunc non sit aliud nomen hominibus datum, in quo oporeat eos salvos fieri. Quare non est alius fons preterquam Jesus ille, quem Deus fecit Dominum Et Christum, querendus. Sed quid si et ei, qui ex hoc fonte bibit, Et in Jesum Christum credit? fluent, inquit, de ventre ejus flumina aquae vive. Non faciam ex eo regem mundanum, non emittam eum in orbem terrarum, ut externo gladio dominationem in hoc mundo accipiat, non effundam in eum multam vim pecunie, sed faciam ex eo regem caelestem, Et effundam in eum tanta dona spiritus Sancti, ut non solum ipse consequatur beatitudinem, sed reddat etiam alios beatos. Primum autem omnium intelligendum est hoc de Apostolis, qui, cum credidissent in Jesum Christum, tanta spiritus opulentia in die Pentecostes donati sunt, ut Et ipsi satis ex Christo vero fonte biberint Et effuderint ex se flumina, quibus alii homines sitim suam explorent. Nam in die Pentecostes institutum Et confirmatum est per Spiritum Sanctum in Apostolis ministerium Evangelii de Jesu Christo, ut Apostoli divulgarent Evangelium in toto orbe terrarum. Constitui, inquit Christus, Vos, ut eatis Et fructum efforatis Et fructus vester maneat. Et iterum: accipietis virtutem, posteaquam Sp. S. advenierit super vos Et c. Hoc testimonium, hoc Evangelium, hoc ministerium est flumen illud, sicut supra diximus, quod fluxit de ventre Apostolorum Et replevit orbem terrarum. Hoc late probat Brentius de Petro, de Joanne, de Matthæo & aliis Apostolis, in primis etiam de Paulo, de quo, hic, ait, et si non fuit inter duodecim Apostolos, in die Pentecostes, tamen, quia postea creditit in Jesum Christum, fluxerunt etiam ex ipsis ventre flumina aqua vive.

Primum

Primum enim adoptatus est propter Christum in filium & heredem Dei, & reputatus est propter iustitiam Christi, quam per fidem accepit, dignus eterna vita. Deinde non ipse tantum explevit sicut suam, sed etiam ortum est ex eo flumen, quod implevit non Hierusalem tantum & circumiacentes regiones; verum etiam permanavit usque ad Illyricum. Sed quid dico? Non solum tunc implevit illas regiones, quas recitavimus, sed adhuc hodie rigat & implet universam Ecclesiam Christi, in toto orbe dispersam. Quare in Paulo quoque impletum est, quod hoc loco Christus dicit: Qui credit in me, fluent de ventre ejus flumina aquæ vive. Hæc uberioris prosecutus Brentius tandem ita pergit: Dices autem, quid? Num, quod Christus ait: qui credit in me, fluent de ventre ejus flumina aquæ vive, de Apostolis tantum intelligendum est, qui, accepto in Die Pentecostes Sp. Sancto, impleverunt orbem terræ Evangelio, quasi fluminibus? primum quidem & præcipue de Apostolis intelligendum erit, deinde autem de omnibus etiam his, qui per Ministerium Apostolicum credunt in Iesum Christum. Non pro eis tantum rogo, inquit Christus, sed pro iis quoque, qui credituri sunt per sermonem eorum in me. & iterum: Thoma, quia vidisti me, credidisti, beati, qui non viderunt, & credunt. Nam qui adhibent fidem Evangelio de Iesu Christo, quod Apostoli in terra vulgarunt, hi initio suam expletent sicut ex hoc fonte, quia consequuntur iustitiam in Christo, reputantur coram Deo iusti propter Christum, & adoptantur in filios Dei, ut fiant heredes omnium cœlestium bonorum, deinde effundunt etiam de se flumina, ex quibus alii bibant, quia accipiunt dona Sp. S. ut confiteantur Christum coram hominibus, ut doceant Evangelium Christi familiam suam, si quam habent, ut mortificant opera carnis, ut ducant piam vitam, quo homines videant bona ipsorum opera, & glorificant patrem, qui in cœlis est. Paulus de servis scribit: Qui-cunque, inquiens, sub jugo sunt servi, suos Dominos omni honore dignos ducant, ne nomen Dei & doctrinam male audiat. Si Paulus docet, nomen Dei & doctrinam Evangelii male audire, propter servo-

rum

rum inobedientiam & insolentiam, certe significat, eam doctrinam bene audire apud incredulos Dominos propter servorum pietatem & obedientiam. Ergo etiam ex servis oriuntur flumina aqua vive. Ecclesiastica historia testatur, eo tempore, quo Maximinus persecutus est Ecclesiam Christi, tantam famem & pestem invasisse Ethnicos, ut alii inedia, alii lue mortui jacerent insepulti. Christiani autem, eis maximis malis erant ab Ethnicis affecti, tamen pascebant famelicos, curabant agros, & sepeliebant mortuos. Quid ergo factum est? Clamatere Ethnici: Non esse alium Deum, prater Deum Christianorum, nec esse ullam aliam veram & sanctam religionem. Hoc vere erat flumen e ventre Christianorum inter Ethnicos ortum. Hac sunt vere opera Sp. S. quibus tanquam fluminibus pii rigant universam terram. Sp. S. enim, ut in baptismo Christi apparuit, in specie non plumbea ac mortua, sed vive & volantis columba, & in Die pentecostes apparuit in specie linguarum, non pictarum aut torpentium, sed ignearum, & flagrantium: Ita non est ipse otiosus aut ignavus Spiritus, sed efficax & operosus. Nam cuicunque datus fuerit, eum accendit, ut ardeat studio propagande gloria DEi & liquefacit eum, ut effundat ex se flumina, tam pia doctrina, quam bonorum exemplorum. Quare exhibeamus nos DEo obsequentes auditores Evangelii de Iesu Christo, ut, accepto Spiritu Sancto, sicut & in nobis flumina aqua salientis in aeternam vitam.

Hæc B. Brentius, cuius verbis heic maluimus uti, quam nostris, primo quidem quod a nobis ea, quæ is attulit, magis perspicue proponi haud possint, clariora etiam lectoribus futura, sie os non tædeat locum illius integrum in Commentario in Iohannem euoluere ac perlegere; deinde ut omnes eadem opera intelligent, rem minime novam a nobis dici, quando verba illa Christi, in medium a nobis prolata, neque ad solos Apostolos, neque ad solos ecclesiæ primitivæ fideles, factos doni Spiritus Sancti extraordinarii & miraculosi participes, restringimus, quin affirmamus potius, promissionem illam Christi ad omnes in eum vere credentes

tes pertinere, licet mensura Spiritus gratiæ utique diversissima iis detur. Quia in ratione verba Servatoris interpretandi regulam sequimur, quam alii aliis, his autem B. Danhauerus verbis in *Hermeneutica sua Sacra expressit*: *Vela sensu (Scriptura) laxanda sunt, quousque Spiritus Sanctus non restringit, præsertim in beneficiorum, ac euangeliorum salatiliorum descriptione.* Christum autem istam suam promissionem iis, qui aquas vivas fitiant, & in ipsum credant, factam haud limitare & coarctare, sed eam potius ad credentes cunctos referre, non tantum ex ipsis verbis, quæ elata voce protulit, sed etiam ex adiecta Iohannis expositione manifestissime liquet. Ait enim: *Si quis fuit, (non, si quis eorum, quos Apostolos constitui, aut, si quis fidelium, qui prima novi Testamenti ætate in me crediderint, sed, si quis fuit, quisquis ille fuerit, & quoconque tempore vixerit) veniat ad me, & bibat (omnino, ut Matth. ii, 28. dixit: Venite ad me omnes, qui fatigari esis, & onerati, & ego faciam, ut requiescatis:)* Qui credit in me (sive de numero Apostolorum, sive de reliqua credentium multitudine fuerit, sive is præsente, sive futuro tempore vixerit), scut dixit Scriptura, flumina aquæ viva fluent ex ventre ipsis, (cuius? uniuscuiusque, qui, ad restinguendam fitim suam spiritualem, ad Christum, istud pollicentem, venerit, & in eum crediderit.) Iohannes vero statim instinctu Spiritus Sancti subjunxit hanc verborum Christi expositionem: *Hoc autem dixit de Spiritu illo, quem accepitri erant credentes in eum.* Heic sane locus fuisset restringendi ad certas personas textum, si ex mente Christi restringendus fuisset. Iam cum ne in ista quidem expositione restringatur, sed quod Christus dixit, exponatur nude atque simpliciter de credentibus in Christum, quis sustineat verba ipsa & eorum expositionem, quæ pars est auctoritatis, vtpote ab ipso Spiritu Sancto profecta, adiecta sua, quam Scriptura nescit, limitatione quasi corrigere?

B

In-

Interim cum hac ipsa promissionis Christi universalitate minime pugnat (id, quod, ut vidimus, optime Brentius notavit,) eam ipsam promissionem primum & præcipue Apostolis, ceu primis & ab ipso Christo ordinatis testibus, deinde reliquis etiam fidelibus competere. Similis certe ratio est parallelæ illius per Ioelem c. 2, 28. 29. factæ promissionis: *Eritque postea, ut effundam spiritum meum super omnem carnem Sc.* Principalis hæc sine dubio & quasi classica est eiusdem rei promissio: id quod vel ex sola Petri concione, quam post effusionem Spiritus Sancti habuit Act. 2, 16. 17. perdiscimus. Quantumlibet autem catholica ista, quæ per Ioelem facta est, vaticinatio sit, ipsa textus littera eam ad omnes referente; nihilo minus tamen primum & primario in Apostolis, & in iis, qui die Pentecostes illis adfuerant, & accedente speciali ipsius Domini promisso, impleta fuit, minime autem propterea ad hos restringi, sed postea etiam in reliquis, qui nimis se boni illius, quod universis promissum esset, non reddidissent eius temeraria aut malitiosa contemtione incapaces, impleri debuit; teste Petro, dicente Act. 2, 38. *Resipisci, & baptizetur unusquisque vestrum in nomen Christi, in remissionem peccatorum: & accipietis donum Spiritus Sancti,*

Cæterum præterire heic sicco pede non possumus recentiorem nonnullorum observationem, textum alia ratione, quam hic usque factum est, distinguentium, hac videlicet ratione:

*Ἐαν τὶς διψᾷ, ἐρχέθω πόρος με, καὶ πιετώ ὁ πικεύων εἰς ἐμὲ, καθὼς ἀπει ἡ γραφὴ ποταμὸι ἐκ τῆς νοιλας αὐτῷ ψύσεσιν ὑδατὸν ζωτικόν.*

*Signis fitit, veniat ad me;*

*Et bibat qui credit in me;*

*Sicut dixit Scriptura: flumina aqua viua ex ventre ipsis fluent.*

In quo consistat distinctionis diversitas, facile quilibet animadvertis. Et hoc quidem in ea novum non est, quod  
ver-

verba illa: *Sicut dicit Scriptura, non ad antecedentia, sed ad consequentia referantur.* Licer enim non defuerint, qui illa referrent ad antecedentia, hoc sensu: *Qui credit in me, non fide imaginaria, aut tali, qua assensum duntaxat præbeat iis, quæ Scriptura de me testatur, sed sicut dicit Scriptura, seu fide tali, qualem Scriptura describit & exposcit, ut sit justificans & salvifica, quam nempe in animo hominis, misericordiam suam agnoscentis, & resipiscientis, atque ad me tamquam mediatorum inter Deum & homines confugientis, operatur Spiritus Sanctus, ex eius ventre fluent flumina aqua viva:*\* facile tamen appareat eam relationem ad antecedentia insoliti & coacti aliquid habere, prouius ideoque & melius verba illa referrit ad consequentia, ita ut iis Christus ad testimonium Scripturæ, more solito, provocet.

Id vero ibi novum est, quod τὸ καὶ πνέω, εἶδος, sublato sequenti interstinctionis signo, referatur ad verba sequentia, quæ adhuc initium commatis trigesimi octavi constituere solent: ἐπιστέλλω εἰς ἐμόν, qui credit in me; quasi, secundum ordinarium vocum situm, ita legeretur: *Si quis sit, veniat ad me, εἰ, qui credit in me, bibat.* Monuerunt præterea illi, qui ita textum legendum censuerunt, Scripturæ veteris testimonium, cuius locus non adsignetur, forte ex Es. 44, 3. transsumtum, vel, ut aliis visum est, ex Es. 49, 10. 55, 1. seqq. 58, 11. Zach. 14, 8. item ex Deut. 18, 15. 18. Ps. 36, 9. Es. 12, 3. Joel 2, 28. Prov. 18, 4. Jer. 2, 13. Es. 11, 9. c. 35, 6. 7. Ezech. 36, 25. non referendum esse ad credentes, sed ad ipsum Christum, ut is dicatur ille, de quo Scriptura promiserit, quod ex ventre ipsius flumina aquæ vivæ sint emanatura; seu de quo Scriptura affirmauerit, quod sit cataracta aut fons, ex quo Spiritus S. in nos effundatur ac depluat: atque hujus toties ties-

\* Videantur inter alia Annotations upon the Holy Bible being a continuation of Mr Poole's Work by certain Judicious and Learned Divines ad hunc locum.

tiesque in Scriptura veteris Testamenti repetiti testimonii de Christo impletionem nunc dixisse Christum ab iis certissime expectandam esse , qui cupiant vitæ spiritualis & æternæ fieri participes ; fore enim nunc , ut , qui in ipsum credant , non guttulas tantum , sed flumina potius & torrentes aquæ illius vivæ recipient , iisque & expleantur ipsi , & sientes alios largissime expleant . Conferamus omnino . Apoc . 22 , 1.17. c. 21 , 6. c. 4. 6. c. 15 , 2.

Ea textus interpretatio nihil fidei analogiæ detrahit , & Scripturam eo refert , quo haud dubie primario referenda est , nempe ad Christum , adeoque eius gloriae addit potius aliquid , quam adimit , idque ea ratione facit , ut nec credentibus , qui sine Christo nihil , per Christum autem omnia habent ac possunt , quicquam auferat . Quare liberum cuique de ea iudicium relinquimus : neque in ipsa re quicquam est , quod sit interpretationi Brentii , quam protulimus , contrarium .

Quandoquidem igitur , o Nostri , quotquot Christum ex animo diligitis , (cum iis enim solis , ut antea monuimus , hic loquimur ) ex iis , quæ dicta sunt , abunde intellectis , verba Domini nostri Jesu Christi , non ad pristina tantum , sed ad nostra etiam spectare tempora , & ad vestram communemque omnium fidelium pertinere excitationem & consolationem , quid supereft , quam ut ea , quæ Vobis dicta sunt , ad vestram nunc quoque omni studio transferatis utilitatem ? Vos estis , qui sitiatis , quique siti illa spirituali , seu desiderio ipsius Christi , & bonorum , quæ in eo sunt , adhuc tenemini , Christo ipso illam sitim in Vobis operante . Vos estis , qui ad Christum venistis , ut aquas illas vivas , quas pollicitus est , acciperetis , & de iis biberetis . Atque ille Vobis , ceu fons vitæ , aquas istas ex promisso ministravit . Vos estis , qui de *advocatione* vestra convicti , ad ipsum confugistis , eumque fide sincera estis complexi . Agnoscenda enim utique

que grato animo a Vobis est gratia illa, cuius per eum facti  
estis participes. Nam, quod adspirare admundatam ab  
eo mentis mutationem, quod odiisse peccata, quod ante o-  
mnia querere regnum Dei & justitiam ejus coepistis, quod  
acti Spiritu Dei, jam in via recta ambulatis, Christumque,  
cui per fidem adhaerescitis, studetis imitari, quod contra in-  
haerens Vobis peccatum quotidie decertatis, neque ab huius  
spiritualis militiae prosecutione vestra infirmitate deterremi-  
ni, in eo Vos experimentum omnino capit is tenerrimi er-  
gavos amoris Christi, atque ex eo profectæ luculentissimæ  
illius promissionis, modo Vobis propositæ expositæque. Iam  
autem videatis etiam atque etiam, ne Vobis accidat idem,  
quod supra diximus, Paulum in Corinthiis coarguisse. Ca-  
vendum videlicet Vobis est, ne Vos jam quasi *saturati*, atque  
*ditati* esse videamini. Mementote potius, Christum pauperes  
Spiritu primo loco dixisse *beatos*, adeoque illam spirituali  
paupertatem vos assidue comitari debere, ne beati esse ullo  
tempore desinatis. Sitiistis, ut dictum, aquas vivas, eas-  
que Christus Vobis præbuit. Bene. Verum sitis illa tantum  
abest, ut cessare unquam debeat, ut, si vera in hominis  
animo gratia inhabitet, continua potius verbi divini me-  
ditatione, jugi oratione atque indefessa *προσεύξεων* exer-  
citatione, ardenter in dies reddi soleat. Venistis ad Chri-  
stum, & ea quidem ratione, qua id fieri debere ipse Christus  
constituit. Bene. Verum ut proprius ad eum acceda-  
tis in dies, atque ut nexo quotidie arctiori per fidem cum  
eo quasi conglutinemini & coalescatis, impigre eniten-  
dum Vobis est. Avida mente vivas ex fonte salutis aquas  
degustatis. Bene; sed memineritis, complures eadem gra-  
tia & olim & hoc tempore fuisse impertitos, quos certo constat,  
deinceps incuria sua fidei fecisse naufragium, & ne gustum  
quidem ullum aquarum illarum vivarum retinuisse. Vobis  
igitur cavete, ne vestra culpa idem Vobis eveniat. Christus

non tantum in Vos aquæ vivæ flumina derivavit, sed ea ipsa etiam per ipsius gratiam a Vobis in alios promanarunt, atque sic non tantum ipsi facti estis beati, sed Vos etiam, tanquam vasa gratiæ, alios Vestris sermonibus sale conditis, Vestro-que exemplo beatos reddidistis. Optime. Quis Vobis de tanta felicitate, si agnoscat eam vere Vobis obtigisse, non gratularetur? Verum enim vero sciatis, Vos quamlibet hac in parte felices, attamen nondum esse in portu. Revocamus Vobis in memoriam, id, quod edocti estis, beatitudinem illam, quam ceu viatores in hac vita consequimur, perdi et amitti a nobis posse, ita ut deinceps illa ipsa, quam adepti sumus, beatitas, probro nobis sit, nobisque illud dicatur, quod Galatis Paulus dixit (Cap. 4, 15.) *Quam beati tum temporis eratis!* (sed non estis nunc) quam ob causam idem Apostolus, ne id Philippensis quoque usu veniret, hosce hortatus est Cap. II, 12, 13. ut, cum timore ac tremore suam ipsorum salutem conficerent, memores, *Deum esse, qui officiat in nobis*, & ipsum velle, & ipsum agere, pro gratuita sua benevolentia.

Cæterum memini, quibus nunc loquar, iis nempe, qui, cum Spiritu gratiæ jam prædicti sint, non tam metu malorum, quam spe bonorum ad decurrentium fidei stadium incitandi sunt. Christus vero non tantum Vobis promisit, sed largitus etiam est tam insignia & eminentia gratiæ suæ dona, ut ipsa eorum agnitus, ad gratam erga eum mentem Vos impellens, obliget Vos etiam, & vi quadam suavi adigat ad præstanta officia, illi ex vobis debita. Quænam autem, aut qualia officia? Non seruitia sane, sed plus quam liberalia, nimirum ad beneficia tam benigni Domini & quivis (Act. 2, 41. cum gaudio & libenter), immo & tuus & tuæ (promtissime) licet cum indignitatis vestræ confessione, accipienda, & ad misericordiæ divinæ torrentem intra animum admittendum, ut uberrime expleamini pinguedine domus ejus, & de torrente deliciarum ejus bibatis: quandoquidem penes cum est fons vita. Ps. 36, 9. 10.

Hæc

Hæc, o Noſtri, diebus hisce Pentecostalibus cogitate ac perpendite: cumque exquisitissima illa & prorsus eximia, pariterque firmissima Domini promissio proposita nunc Vobis sit, & ostensum, eam utique ad Vos etiam ex voluntate promittentis pertinere; succinctis mentis vestræ lumbis, lucernisque fidei vestræ ardenteribus similes estote seruis, Dominum suum expectantibus, quo parati sitis ad accipiendam omnem illam, quam Vobis pollicitus est, gratiam. Animadverte, quam mirabilem in animis discipulorum Christi mutationem Pentecoste attulerit. Tunc flumina illa vivarum aquarum, quæ Christus die ultimo Festi Tabernaculorum promiserat, omnibus erant conspicua. Et sunt sane multa, quæ præcipua habet primum illud verborum Christi, idque prorsus singulare implementum. Quare nos temere ageremus, si easdem omnium donorum spiritualium species, siue eandem gaudii divini, parrhesiæ inusitatæ, illuminationis cælestis, qua illi subito perfusi magnifica Dei facta, novis etiam linguis, elocuti sunt, abundantiam nostro tempore expectare vellemus. Quemadmodum enim singulare fuit tempus liberationis filiorum Israël ex Aegypto, cui, si multitudinem, pariterque majestatem operum Dei spectemus, nulla sequentis temporis periodus similis extitit: Ita istud etiam Novi Testamenti principium prorsus singulare fuit, nec comparari cum illo ætas ulla recentior potest: id quod non de sola Pentecoste, qua Spiritus Sanctus primum effusus est, sed de tempore integro, quo plantata ministerio Apostolorum Ecclesia fuit, acceptum velimus. Hoc sane res ipsa edocet, ut nemo sanus id negare sustineat. Percepistis autem, promissionem Christi, licet ea primum & præcipue in Apostolis fuerit implenda, omnibus tamen fidelibus communem esse. Fluixerunt utique adhuc, fluunt etiamnum, fluentque in posterum flumina aquæ vivæ de fonte vitæ, Iesu Christo, in pecto-

pectora credentium ita se diffundentia, ut, in iis collecta, novos quasi fontes aquarum vivarum constituant, seu potius flumina earum, ex unico illo vero fonte promanantia, efficiant, quibus non tantum horti Ecclesiarum, sed etiam deserta mundi rigentur, & fœcunda reddantur. Nolite igitur, Dilectissimi, Dominum vocare in suspicionem, quasi is haud dignari vos velit, in quibus promissionem illam suam longe benignissimam impleat. Neque sua quisquam vestrum, quam persentiscit, terreatur ariditate. Vivit Dominus, & idem est, eritque in sempiternum, qui fuit temporibus antiquis. Sint vasra diversis in honorem Christi usibus destinata, sicut ministeria & officia diversa, sit diuersa temporum conditio & multis modis diffusa; semper tamen bonum nos habemus Dominum, divitem in quosvis, a quibus invocatur.\* Ad hunc precibus vestris intrepide accedite, promissiones eius firmissime tenete, ipso fidem vestram nunquam non sufficiente; ne suspenso estote animo, sed in fiducia filiali constanter perseverate; limites autem vocacionis vestrae ne excedatis, probate diligenter, que sit voluntas DEI bona illa, placens ac perfecta, \*\* ut eam pro gratiæ, quam acceperitis, mensura animo fidelis faciatis. Ita vobis spondemus futurum esse, ut non modo ipsi, qui qui fueritis, sancta multisque donis exornata Spiritus S. templa reddamini, & ut largius in dies aquæ illæ vivæ in intimos animorum vestrorum recessus se insinuent, sed ut alios etiam complures in bonorum cœlestium societatem vestro exemplo, vestrisque sermonibus pertrahatis. His autem feriis pentecostalibus verbo Evangelii, preces inter & suspiria, ita pascatis & nutriatis animos vestros, ut incrementa fidei vestrae perfructus innumeros deinceps in omnibus evadant manifesta.\*\*

\* Rom. 12, 2.

\*\* 1 Tim. 4, 15.

P. P. Fer. I. Pentec. M. DCCXXIV.

Ja 1586

ULB Halle  
001 508 687

3




St

VDN8

VDN7





ACADEMIAE F  
PRO-RE  
JO. HEIN  
MICHA

S. THEOL. D. EIVSDE  
OO. LINGG. PRO

una

DIRECTORE,  
ET PROFESSOR

CIVIBUS AC

PIAM FERIARUM I  
CELEBRA  
COMME

HALAE MAGDEBURGICA